

Bibliothèque numérique

medic@

**Pluvinet, Bernard-Nicolas - candidat /
Thiéry de Bussy - président. - Utrùm
hodierna capillos componendi ratio
sanitati minùs conducat ?**

1785.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°117***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0117](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0117)



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BTU Santé
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ mensis
Martii, anno Domini M. DCC. LXXXV.

M. THIÉRY DE BUSSY, Consiliario Medico Regis ordinario in
Senatu Parisiensi, Doctore Medico, Præside.

Utrùm hodierna capillos componendi ratio sanitati minùs conducat ?

I.

ERITNE semper Opinio regina mundi ? Hactenùs frustrà Philosophia sibi vindicat imperium ; eâ derelictâ, illius partes sequuntur ipsi, qui sese sapientiores prædicant populi. Opinione quidem jubente, dum naturæ opera adornare, vel & etiam emendare gestit homo, ea nefandâ manu deturpat amens. Taceamus

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

enim ridicula cuti impressa stigmata & pigmenta, absurdasque aurium, palpebrarum, narium labiorumque depressiones, elongationes & perforationes: taceamus stolidam illam audaciam quâ barbaræ gentes calvariæ, nobilissimi organi arcis, vel templi, formam amant immutare: taceamus & supersticiosam testis unius apud hominum squalidissimos usurpatam avulsionem. Gallorum hujus ætatis, omni doctrinâ omnibusque artibus præclaræ, moribus attendamus. Hinc cachinnum movet pedum eleganter tenuium affectatio, quippe quâ permultos videas dolore voluptatem emere coactos, si forsitan illis choreæ, vel in amœno campo deambulatio arrideant: indè lugenda vel tenerrimorum cœca barbaries parentum, qui filiarum abdomen & pectus rigidioribus strictioribusque fasciis incarcerare audent: lugenda simul & execranda quarundam prægnantium foeminarum amentia, quæ quasi sanctissimi muneris ipsas puderet, susceptum opus pretiosissimum in discrimen adducere non dubitant. Verùm adversus ea irritis ferè conatibus jam insurrexerunt Philosophi. Sed perinde ac si capillos componendi methodus hodierna sanitati prorsus indifferens esset; de eâ, forsan ipsi opinioni obtemperantes, filuerunt. Liceat igitur illius incommoda, pro tenuitate nostrâ, arguere tentemus.

I I.

CAPILLUS è cute calvariæ ambeunte, prodit origine nondum rectè cognitâ; quamvis permulti, nec mediocres quidem viri ad eam in apurum deducendam se accinxerint. Verùm multis scatent eorum scripta erroribus, idè quod in pilorum humanorum descriptionem è structurâ apud brutas detectâ multa attulerint. Quæ igitur ipsimet percepimus, ea tantum adducemus; sed ut minùs nos errasse quis putet, nonnullos illustres authores sæpè eadem ac nos vidisse ostendemus. E duplici loco oriri posse pilos *Ruifchius* (1) annotaverat, è telâ cellulosa cuti subiectâ, necnon è cute ipsâ, quod confirmavit *Kaaw-Boerhaavius*. (2) Capillos autem è telâ cellulosa omnes ortos scripserunt. Verùm ad occipitium præsertim frequentes tenues capillos reperiri, quorum radícula vix externam cutis superficiem attingeret, observavi. Duplex autem cum sit radiculæ origo, duplex etiam fabrica. Quæ cutim vix attingit radícula sphericam refert figuram & pellucescit decolor. Ferè decolor etiam ab eâ ad externam epidermidis superficiem usquè tendens capilli portiancula, quam membranacula circumdat. Etiam, cute maceratâ, capillum avulsum ea radícula sequitur. Memoratæ quidem illæ partes capillo nudo paulò molliores se præbent. Adiposam è contrâ telam subeunt radícula implicatiorem apparatus obtinet; sive enim capillus à

(1) Epist. Prob. I, p. 8.

(2) Persp. Hippocr. S. 311, 315.

parie exteriori evellatur, five ordine inverso, ereptâ cellulosa adiposâ, illius origo inquiratur, hæc sunt deprehendenda: Capilli partem in tegumentis latentem vestit vagina (1) cylindrica exteriori sine, orificio scilicet, conica: angustior etiam versus fundum facta in hemisphericam ovalemve desinit figuram. Avulsam ea pilum quandoque non sequitur, quandoque cum capillo mediam tantum exteriorum ejus partem evelles, interiori remanente, utpotè quæ tenerior sit. Corio quidem macerato, capillum semper deferit vagina. Pellucida ea cum sit, facile quam vestit capilli portionem & sedentem ejus in fundo radiculam percipere est. Saturatori capilli ipsius nudi colore intincta ut plurimum radícula rotundam tunc præ se fert figuram: pallidior è contrâ radiculae proximè accedens capilli portiuncula. Duplici autem crederemus radiculam membranulâ obduci, interiori scilicet tenerrimâ & quasi mucosâ, externâque paulò firmiori & vaginæ continuâ. Porro si denudetur capilli origo, quæ sphaerica videbatur radícula, tum evoluta, quasi in conum irregularem abit; (2) cum haud rarò quâ parte capillo adhæret eo tenuiori facta aliquantulo sit crassior. Prorsus mollis ad apicem facta sui sæpius portiunculam in vaginulae fundo linquit; undè, ni fallor, huic fundo remanet quid coloratum. Radiculæ medium obtinet cavitas, quæ conica intrâ capillum producit & in canaliculum secundum illius longitudinem abit. Epidermidem in capillum reflecti, illique exterioris loco membranæ adnasci authores benè multi scripserunt; verùm, denudato absterfoque pilo, frustra locum quo reflecteretur epidermis, ejusque vestigia hærent quærivimus. Quod ad ipsiusmet capilli fabricam attinet, reticularis ea nobis visa est. Intensum magis internâ substantiâ colorem cortex obtinet, obscurioribusque reticulatim distinguitur lineis quas pro vasculis habuit *Senacus*. Villis exterius munitum huicce corticem nonnulli dixerunt; eos quidem villorum loco sordes vidisse alii contenderunt. Ut ut sit, constat, æquali alternoque motu inter digitos pressio fricatioque capillo, illius semper radicem progredi. Quod quidem illius conicæ figuræ ne tribuas, cum parum crassitie perlongi capilli extremitates ambæ inter se differant. Fibrillas ab authoribus descriptas cortice connexas ut videremus nobis non tanta felicitas contigit. Capillorum apex quandoque finditur; indè ramosos quidam capillos dixerunt.

Quadruplicem in genere agnoscimus capillorum colorem, album scilicet, flavum, rufum & nigrum: ex hisce variè nuptis facile colores habeas omnes quibus diversarum gentium comæ distinguuntur. Ut plurimum in calidis regionibus nigerrimum colorem obtinent capilli, in temperatis castanearum æmulantem, in frigidis flavum, &, quod mirum posset videri, fusco-nigrum frigidissimo sub climate. Generatim igitur nigredinem auget sicca calidaque temperies; immixtâ è

(1) Winslow, Exposition Anat. Traité des Tégumens, N°. 99.

(2) Conicam & incurvam habet: Malpighi, Oper. posth. in fol. p. 93.

contrà flavedine, illam temperat humida & frigida: ità ut Borealiū populorum idèò fusco nigros esse capillos diceret, quod ob rigidum gelu sicciior sit quem spirant aër. Temperatis & frigidiusculis sub climatibus frequentiores rufi capilli, sub calidioribus & frigidissimis non infrequentes reperiuntur, licèt ibi nullas flavedine intinctas comas offendere sit. Canos autem fieri, senectute accedente, vel nigerrimos capillos nemo nescit. Verùm in calidissimis, tum Africæ; tum meridionalis Americæ plagis non rarò ex parentibus nigerrimis capillis cuteque obscurè fuscâ, vel & etiam nigerrimâ gaudentibus nascuntur alb. scentibus capillis pilisque aliis, cute pallidè albissimâ, iridibus sæpius rubris homines quos oculorum acies hebes, multa alia incommoda, mors demùm præmatura vitiosè conceptos arguunt. Sed & etiam temperatis in regionibus occurrunt quandoque homines quibus vix, ac ne vix quidem flavescit coma, debiles sunt oculi, rubent irides; (1) multò mitius cœterum à naturâ affecti quàm prædicti è nigris fuscis-ve orti parentibus. Rectissimi ut plurimùm frigidis in regionibus capilli, in calidioribus jam crispi sunt, ità ut in calidissimis quibusdam Asiæ & Africæ plagis parvos in cincinnos abeant, etiam mox memoratis nigris albis. Eò majori crassitie donantur capilli quò nigriores, nigritis tamen tenuissimi:

I I I.

PER omnem vitæ curriculum capillos crescere vulgò notum. Si autem, adhibitis pigmentis, tingantur; non longo elapso tempore, nova colore nativo gaudens portiuncula accrescit. Dum è contrà senili canitie, vel ut quandoque morbo evenit, aliâ coloris mutatione tentantur, (2) mutationem totus capillus subit. Capillum igitur novâ è radice prodeunte portione, crescere credas, credas & etiam eum non mortuum esse corpus. Tonso capite, citius recrescunt capilli. Frequenti verò celebratâ rasurâ, præsertim pueris fiunt nigriores. Ubi quidem sæpius pectine discriminantur, facilius eos crescere autumemus, cum certam in longitudinem nigritarum coma pexa producat. Nondùm, licèt multi hanc sententiam foverint certa compertum est observatione nam humidum quid capilli

(1) Hujusmodi infantem quindecim mensibus natum, non nihil torosum, rubentibus quidem genis, patre 45, matre 24 annis, comâ nigrâ cuteque non nihil fuscâ distinctis ortum, se in uolâ ex Agoribus Insulis *Tecor* dictâ vidisse mihi retulit Cl. *Renaud*, D. M. M. Similem etiam repetit anno proximè elapso puellam propè ferream vici *Chaillot* dicti portam, tenuium sorbillum venditoris (*d'un Limonadier*) filiam. Tredecimum ea agebat suæ ætatis annum, ei rubentes etiam genæ: pater verò fusco-flavis capillis gaudebat.

(2) E medicamento vehementissimo capilli nigri subito in fulvos mutati. *Journal de Trévoux*, 1703; & *Histoire de l'Académie Royale des Sciences*. Multa etiam vulgò adducuntur canities subito ingruentis exempla, è quibus quidem, (saltem si de mirandâ celeritate quâ accedere dicitur canities aliquid deinas), animi pathemata præmaturam canitiem inferre posse deprehenditur. Canos è contrà robustissimi senis capillos verò ejus septuagesimum annum pristinum nigrorem recuperasse legitur in *Hab. Acad. Reg. Scient.*

perspirent; verum humori excernendo eos aptos esse comprobatur plica Polonica, quo in morbo fit ad eos metastasis quam verè criticam habeas cum, eâ obtentâ, primaria symptomata sedentur, quæ tonsis è contrâ capillis recrudescunt. Humorem etiam oleosum eos fundere facillimè colligas ex eo quod reverâ pingues deprehendantur, linrea ipsis imposita fordescant coloreque fusco maculentur. Undè coloratum hocce oleum conjicias, eoque deficiente, canos fieri capillos, qui cani facti sicciore sunt.

Præterquam quod oleosum smegma capilli fundant, aliæ ipsis functiones, alius usus. Naturæ ad pernoscentes in singulis ipsius operibus fines eam interrogare quamvis ridiculum sapius videatur; illam tamen crines capiti circumponendo sibi proposuisse arbitramur, ut nempe caput simul adornaret & ab externis noxis tueretur. At morosum audias Aristarchum, nihil incomptis capillis horridius esse contententem, nec cur caput potius quàm partes aliæ longis pilis donaretur nullam rationem posse afferri conclamantem. Sed illius rumores liceat unius assis estimemus. Horrida illi videtur incompta squallidaque coma: ad brutas respiciat pilum linguâ abstergentes, inconcinnandamque sciat homini à naturâ concessam comam non fuisse, cum illi pro instrumentorum suppellectili sublunaria corpora omnia adnascantur. Cur longis pilis abundet caput non videt! Nobilitatem habitantis in calvariâ organi perpendat, perpendat & humani capitis structuram ac situm multoque majorem cranii partem homini patere videat, quam plerisque animantium. (1) Prolixos etiam attendat capillos in alas dorsumque descendere, quo loco parciore adeps, rarissimi plerisque viris pili, protegendumque, cui noxam valeret frigus inferre, debile sapius organum, pulmonem nempe. Breves igitur capillos tantum videas nigris, è calidissimâ mundi regione ortis. A Solis radiorum actione vividiori aëreque frigido calvariam defendunt crines; cui quidem officio exercendo egregiè sunt idonei; cum lentè admodum calorem concipiant, & semel conceptum nonnisi lentè dispergi sinant (2). Humiditatem etiam valent arcere, necnon perspirationem juvare, tum ab oleosum quo madent humorem, tum ob electricum motum quem faciliè, vel leviori affricu, concipiunt. (3)

(1) Si caput hominis brutarum capiti attentè componas, duos hisce deprehendes superficiei calvarie trientes, collo, auribus, naribus, mandibulâque protegi. Etiamque plerisque similis, qui cynocephali sunt, dum è contrâ homini duo cranii trientes liberi sint cum perbreves habet nates, aures, maxillas, collumque inferiori ejus capitis loco adaptetur. Et quidem cujus caput hominis capiti proximè figurâ accedit, *Orang-outang* in Insulâ Java, *Bontio* referente, prolaxis capillis distinctus occurrat.

(2) Corpora, ut vocant, *idioelectricâ*, inter quæ infimum pili locum non tenent, electrico motu ducendo parùm idonei cum videantur, calorem etiam longè difficilius *eteroelectricis* seu *conductoribus* perducunt.

(3) Electrico motui concipiendo maximè aptos capillos experimentis comprobavit Cl. *Brylone*, *Journey through Sicilia*. XI Letter. Verum nè quis electricitati medicæ nimium tribuens, vel ma-

CAPILLOS, calamistris admotis, torrere, nec haud levi quidem sine dolore apice arreptos, pectine versus caput ducto, repetitis ictibus crispare, varios in cincinnos & orbes variasque in texturas accommodare, disponere, dispositos ferreis plumbeis-ve filamentis connectere, strictis ut viris mos est ligamentis vincire, vel, ut foeminis placet, circa impositum vertici pulvinar adaptare, adscititiosque saepius adjungere, dein adipibus, seu, ut vocant, pomatis variis odoramentis refertis ungere, demum amylo, vel aromaticis acrioribus, flavum cinereum-ve colorem referentibus conspergere summa est comitricis apud nos hodiernae artis. Nunc quidem calamistrorum calore quamdam capilli labefieri partem obvium est, ita ut amplius transsudare nequeat pinguis humor, imò labes ad radicem usque producat. (1) Porro frontis praeter aliorum locorum capillos calamistrare mos est, quod quidem eò absurdius, quò pars illa calvitiei magis obnoxia sit. Qui autem capillos violenter ut crispi evadant pexando dolor incutitur, necessariò humorum fluxionem capillatum versus corium advocat, saepius igitur inde quaedam quasi phlogosis ortum ducit, quae aliquot per horas producat; ita ut non sine dolore partem premas. Ueberior eo loco facta perspiratio facillimè tunc vel levissimo frigore reperienda cephalalgiam, hemi-craniam, coryzam aliaque similia producere valebit. Dolorem etiam facit ad caput propius admotum vinculum; quod si strictius sit, capillos ipsos nimia pressione laedet. Ubi feminae [pulvinaribus, adscititiis capillis, ferreis acubus aliisque id genus admotis, comae molem nimis adaugent, praeter timefendum capillorum defluvium, (2) caput defatigatur, fugatur somnus, praesertim apud delicatulas, quae capitis dolore vel gravedine ut plurimum laborant. Verum innocens-ne reputari valet adipum (3) amyli (4) acriumque aromatum usus? Rancidis enim factis

gueticatum nugarum factus praeco, nostris abutatur dictis, nullam aliam actionem electrico capillorum motui me tribuere hic annotabo, nisi quae dispergat humiditatem & sic apprimè perspirationem juvare queat. Confer. Nollet, *Essai sur l'Electricité des Corps*.

(1)

Heu mala vexatae quanta tulere comae!
 Quam sese praebuerant ferro patienter & igni;
 Ut fieret torto flexilis in orbe sinus!
 Clamabam: scelus est, istos scelus urere crines.
 Sponte decent: capiti, ferrea, parce tuo:
 Vim procul hinc remove. Non est qui debeat uri,
 Erudit admotas ipse capillus acus.
 Formosae periere comae.

Ovid. Eleg. 4, l. 1 Amor.

(2)

Quaeque caput passim cumulatim crinibus augeat,
 Turpe gerent nudo vertice calvitiam.

(3) Adipibus tamen contra capillorum defluvium uti conducit. Verum priusquam novum adipem addas, abstergendus est, qui jam illius fuit capillus. Inter adipem antepoenendi sunt qui fluidiores & lentius rancescunt, ut carnivororum animalium. Merito igitur Urfinus commendatur.

(4)

Amylum linteos eo obductos erodere annotat Ramazzini de Morbis art. c. xxii. Addendum

adipibus, aromatum acredine amylique erodente vi nonne vellicari debet cutis, indè pruritus, capitis anxietas, minùs quietus somnus. Prædictis fordibus etiam cum oleoso capillorum humore mixtis cuti quasi unguen adnascitur. Id autem si reverâ perspirationi insensibili poros obliniendo non impedimento sit; saltèm, qui puris è capillis facilè defluxisset & in auras vaporasset, sudorem ad cutim retinet, ita ut, frigefacto illo sudore, subita calenti capiti refrigeratio inferatur. Sed & etiam fordes illæ naturalem capillorum vim electricam minuunt quam perspirationi vidimus feliciter conducere. Demùm dum sparguntur pulveres, illarum quædam pars volitando pulmones ingreditur; quam innoxiam non debes habere: debilibus enim pulmonibus dyspnæam, fugacem reverâ, subitò facit, necnon observatione constat asthmatis, peripneumonix tabique pulmonali præ aliis obnoxios esse pexatores.

V.

VERUM quid ad componendos capillos varia adhibita artificia nociva habeas, qui mox capillos ornamentum capiti à naturâ concessum contendebas, opponit *Zoïlus*? Non vinctes, *Zoïle*; non enim compositionem, illius abusum respuo. Calamistram, quæso, amylos, acres aromatici pulveres ceteraque decenti ne erunt capillorum compositioni necessaria? Longè quidem; cui bono enim nativum colorem fucò deturpare audeas? Albam cutim florentesque genas nonne jucundè distinguit nigrum supercilium; cur igitur & corvinâ nigredine nitens coma noceret? Etiam ad fuscedinem vergat cutis color; si album flavum ve admoveas pulverem, vel illius coloris oppositione, vel hujus diffusionem fuscedo conspicua magis evadet. Qui quidem castanearum colori color est æquiparandus dulcem jungit cum candido fronte pugnam, dulcissimam cum niveâ cute vix flavescens coma. Nec est cur croceo aureo-ve splendore nimis divitem cæsariem gestias fucare: pulcherrimam memineris croceis fuisse capillis Auroram, novumque roseas in genas similibus è capillis lucem reflecti. Capillorum canitiem celare audes! Non times debitam senectuti reverentiam proinde denegandam? At, omisso pulvere, squallida coma videbitur. Ne quidem, si pectinis dente quotidie discriminatam aquâ purâ madente spongiâ abstergendam, linteisque dein exsiccamdam cures. (1) Sic nitidi facti jucundo splendescunt decore. In orbes eos ducere placet; ante somnum laxius volvantur, volutique per noctem maneant, & eos in cincinnos abeuntes aurora videbit. Perlongi sunt; molliter textorum extremitates

capillos è capite frequenter amylo consperso depromptos nimis exsuccos esse quam ut ad capillamenta texenda adhibeantur. Furfuraceas herpes etiam fronti sæpiùs inducit amylos.

(1) Quem quidem agendi rationem natura brutas edocuit; cum linguâ vel pedibus salivâ iteratim pilos abstergant. Ceterùm ea methodo perspiratio fit vividior & caput etiam contrâ frigoris impressiones munitur. Vide *C. Celsum*, Lib. 1, c. 4.

coërceat vitta. (1) Verùm foeminis tantum similes curæ, fatis sit si puros & rectè per os habeant capillos viri, quibus tum ingeni, tum corporis masculum robur foemæ decori multò præstantius venit ornamentum. Bellulis igitur exquisitum comæ cultum linqunt, bellulis istis hesternâ languidioribus rosâ, vel, ut jocose cecinit Poetarum lepissimus, mollioribus

cuniculi capillo

Vel anseris medullulâ vel imulâ oricillâ,

Vel, &c.

His quidem etiam & amyllum, calamistram, aromata ceteraque ejusdem farinae per me liceant; dum nihil mirum sit, si pulchritudinem sanitati propriam emptiæ suæ bellitudini postponent.

Ergo hodierna capillos componendi ratio sanitati minùs conducit.

(1)

Non sint sine lege capilli.
Admotæ formam dantque negantque manus.
Nec genus ornatûs unum est: quod quæque decebit,
Eligat, & speculum consulat ante suum.
Longa probat facies capitis discrimina puri:
Sic erat ornatis Laodamia comis.
Exiguum summâ nodum sibi fronte relinqui,
Ut pateant aures, ora rotunda volunt.
Alterius crines humero jactentur utroque:
Talis est assumpta, Phœbe canore, lyra:
Altera succinctæ religetur more Dianæ,
Ut solet, attonitas cum petit illa ieras.
Huic decet inflatos laxè jacuisse capillos.
Illa sit adstrictis impedienda comis.
Hanc placet ornari testitudine Cylleneæ:
Sustineat similes fluctibus illa sinus.
Et neglecta decet multas coma. Sapè jacere
Hesternam credas; illa reperta modo est.
Ars casum simulet.

Ovid. Artis amat. Lib. III.

Proponebat Parisiis BERNARDUS - NICOLAUS PLUUNET, Parisinus,
Universitatis Medicinæ Monspeliensis, Doctor, necnon Saluberrimæ
Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theses Author.
A. R. S. H. 1785.

Æ OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1785.

